



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

Suppositum primum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

quo potest, quia præsuntur voluisse legatum suum eo modo, quo potest, esse firmum, & ratum. Sic Riccius in *praxi*, decis. 56. in edit. 1. Quaranta verb. Alienatio, num. 41. & Barbosa de potest. Episcopi, pari. 3. allegat. 95. num. 59.

5 An autem idem dicendum sit, si fuerit legatum rei mobilis pretiosæ?

Respondetur (quamvis nonnulli affirmant ex eo, quia tota ratio prohibitionis alienandi res mobiles pretiosas, quæ seruando seruari possunt, est quia computantur inter bona immobilia, quorum alienatio, non seruatis iuris solennitatibus, omnino prohibita est) negandum tamen esse, quia econtra rei mobilis pretiosæ retinendæ capax est monasterium, & propterea ob dictam rationem, ea Monasterio per acceptationem incorporata. Ergo, &c. Vide quæ dicuntur infra dub. 22. Vide etiam Riccium & Barbosam in locis supra citatis.

DUBITATIO VIII.

An possint Regulares, inconsulto summo Pontifice, accipere pecuniam ad cambium, vel ad mutuum, cum solutione lucri cessantis, & damni emergentis, vel fundare censum?

SUMMARY.

- 1 Non possunt regulares inconsulto summo Pontifice fundare censum, & accipere pecuniam ad cambium, vel ad mutuum, cum solutione lucri cessantis, aut damni emergentis.
- 2 Afferuntur multe resolutiones, & præsertim Declaratio S. Congregat. Concilij de mandato Urbani VIII. quæ ad litteram rescribitur.
Excipe, nisi excuset vrgens necessitas, & interim non possit adiri S. Pontifex, quia in tali casu possunt impignorari lampades, candelabra argentea, & similia.
- 3 Excipe secundò, nisi excuset consuetudo legitime præscripta.
- 4 Ratio editionis talis decreti fuit, ne quod per vnam viam prohibetur, per alteram concederetur in fraudem legis.
- 5 Sine assensu Apostolico licet alienari possit prædium, vel vineola, tamen non potest alienari pars prædij magni, & pretiosi, quia sic successiue posset alienari totum in fraudem legis.
- 6 Probatum quod regulares non possint fundare censum, neque perpetuum, neque vitalitium.
- 7 Neque possint vendere censum pro solutione æris alieni.
- 8 Possunt tamen emere, v. g. fundum, vel domum mille aureis ad censum super ipsum fundum, vel domum impositis.
- 9 Dummodò dictus census non imponatur cum hypotheca, etiam super alia bona Ecclesiæ speciali.
- 10 Et si non obstat dictorum bonorum Ecclesiæ hypotheca generalis.

1 Respondetur negatiue. Sic habetur expressè in decreto sub die 21. Maij 1624. & declaratione S. Congregationis Concilij, de quibus dicebam dub. 1. num. 4. & tradunt Homobonus in *conf. cas. conscient.* vol. 2. part. 6. respons. 97. Pasqualig. tom. 2. decis. 172. Peyrinus in *Præiud.* Minim. tom. 2. Constitut. 8. Urbani VIII. & Nouarius in *summa Bullar.* tit. de alienat. num. 3. ita vt si id faciant, incurrant penas Extrauag. Ambrosiæ, & dicti decreti S. Congregationis de rebus Regular. non alien.

3 Excipe, nisi excuset vrgens necessitas, & interim adiri non possit S. Pontifex, aut S. Congregatio, quia tunc Thom. Delbene de Immunit. Eccl. Pars I.

fieri potest etiam impignoratio lampadum, candelabrorum argenteorum, & similibus. Peyrinus in *formulario*, lit. A. cap. 11. n. 3. & Diana part. 5. traç. 13. resol. 6.

Excipe secundò, nisi excuset (vt adnotauit Lezana in *summa q. regul.* cap. 13. n. 3.) aduersus dictum decretum, & dictam sacræ Congregationis declarationem consuetudo legitime præscripta.

Ceterum, ratio editionis talis decreti, & talis declarationis S. Congregationis fuit, ne quod per vnam viam prohibetur, per alteram concederetur in fraudem legis. Ob quam similem rationem rectè dixit Genuesis, quod licet sine assensu Apostolico possit alienari Ecclesiæ prædium, vel vineola, *argum. cap. terrulas*, 12. q. 2. & docent Molin. *disp.* 468. §. *Licet prædicta*, Sæ verb. Alienatio, & alij passim; tamen non possit alienari pars prædij magni, & pretiosi, quia sic successiue posset alienari totum prædium magnum, & pretiosum in fraudem legis.

Quod autem regulares non possint fundare censum, neque perpetuum, neque vitalitium, patet expressè, si non ex Extrauaganti, saltem ex decreto prædicto, & probatur, quia impositio census est quædam alienatio, l. fin. Cod. de reb. Eccles. non alien. & ex decisione Rotæ docet Naldus verb. census, n. 3. impositio namque census est veluti quædam bonorum libertatis venditio; quapropter pecuniam ad cambium, vel mutuum accipere cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis (quod est multò minus, quàm impositio census) prohibuit Regularibus S. Congregatio Sanctissimo approbante, sicuti supra dicebam, & refert Gauantus in *Man. Episc. op. verb. Alienatio*, num. 35.

Hinc etiam declarauit S. Congregatio, non posse regulares facere alienationem, seu venditionem census pro solutione æris alieni. Gauantus loc. cit. n. 40. & Ioan. Maria Nauarrus in *lucerna regular.* verb. Alienatio, num. 3.

An autem possint regulares, aut alij Ecclesiastici emere v. g. fundum, vel domum mille aureis ad censum super ipsum fundum, vel domum impositis?

Respondetur affirmatiue, quia in tali casu Ecclesiæ non tam alienat, quàm acquirit bonum illud stabile, tali onere affectum; secus dicendum, si ille census imponeretur cum hypotheca speciali, etiam super alia bona Ecclesiæ, quia hoc esset alienatio quædam libertatis bonorum Ecclesiæ, quod est iure prohibitum.

Dixi, hypotheca speciali, quia si id fieret per hypothecam generalem, licet fieret, quia iuxta dicta dub. 1. n. 20. & dub. 3. n. 7. & seqq. probabile est hypothecam generalem bonorum Ecclesiæ non esse prohibitam Ecclesiasticis, & regularibus.

DUBITATIO IX.

An, & quomodo sit licita Ecclesiæ rerum alienatio?

Suppositum primum.

SUMMARY.

- 1 Ad licitam rerum Ecclesiæ alienationem requiritur semper causa legitima, hoc est euident Ecclesiæ necessitas, aut utilitas.
- 2 Necessitas est, vt si Ecclesiæ grauetur ære alieno, & non possit soluere, nisi alienet, vel si reparanda sit Ecclesiæ, fundus instaurandus, vel domus sufficiens, qua alioquin corrueret.
- 3 Utilitas, vt si vendatur aliquid, vt melius aliud habeatur, vel si alienetur res inutilis, aut in qua plures sumptus insumuntur, quam sint redditus.
- 4 Ecclesiæ necessitate, aut utilitate cessante requiritur

N 3 ad

- ad alienandum quod saltem id exigit pietas, scilicet ad propagandam fidem, ad redimendos captivos, & huiusmodi alia.
- 5 Pro alendis pauperibus, ne frigore vel fame pereant, licet vasa sacra infringere, & pretium erogare, si alia non suppetant. Refertur mos S. Ambrosij, & laudatur.
 - 6 Absurdum non est animas hominum quibuscumque vasibus, vel vestimentis præferri.
 - 7 Rerum alienatio ut Ecclesia sit licita tempore, quo fit, necesse est ut interveniat altera ex duabus dictis causis, quia ex illis alienatio honestatur.
 - 8 Item necesse est quod alienanti constet causam alienationis verè existere, quia ex dubia causa alienare non debet, cum tunc non constet de evidenti utilitate.
 - 9 Item secundum probabiliorē sententiam id ipsi debet per informationem testium constare, quia alioquin non potest reddere rationem de sua recta administratione.
 - 10 Episcopus non debet præstare assensum alienationi, nisi præmissa prius huiusmodi informatione, & citatis his, quorum interest.
 - 11 Is cui à Papa committitur ut rebus Ecclesia alienandis, &c. si ei legitime constiterit alienationem cedere in evidentem utilitatem Ecclesia, debet de iis informationem sumere, alioquin non dicitur eidem legitime constare.
 - 12 Alienatio, si fiat ob Ecclesie utilitatem, utilitas ob quam alienatur res Ecclesia, debet esse quam maxima haberi possit.
 - 13 Res Ecclesie, quæ alienatur dari semper debet plus offerenti, quia tamen non sic data, alienatio adhuc sustinetur.
 - 14 Alienatio facta à Prelato decepto in eo, quod ipsum putaverit faciendum ex causa legitima, adhuc non existente legitima causa sustinetur.
 - 15 Ecclesia non præsumitur velle alienationem in validam esse ob causam non legitimam, si legitima præbatur bona fide.
 - 16 Ecclesia etiam ex se decepta ob bonam fidem in sententia nonnullorum gaudet beneficio restitutionis in integrum, sed contrarium est multò probabilius.
 - 17 Alienatio an facta fuerit ex legitima causa, necne, in dubio semper præsumendum est pro parte affirmativa, præsertim si Commissarius consensum præstiterit.
 - 18 In dubio standum est pro valore actus, quia in dubio nemo præsumitur malus, & non præsumitur delictum, nisi demonstretur.
 - 19 Ecclesia volens gaudere beneficio restitutionis in integrum, debet probare invaliditatem actus.
 - 20 Alienatio quando fit pro solvendis debitis Ecclesie, cogitur venditor probare pretium versum esse in talem effectum.
 - 21 Emptor eximitur ab onere probationis si præmissa tractatu, aliisque solemnitatibus à iure requisitis, pretium solverit.
 - 22 Redditiis Ecclesie sufficientibus debitorum extinctioni, vel pauperum necessitati, &c. etiam applicatis in ministrorum sustentationem, non dicitur adesse causa necessaria alienandi.
 - 23 Fructus beneficij in sustentationem ministrorum applicati, si eorum congrua sustentationi super sint, converti debent in pauperum utilitatem.
 - 24 Alienatio bonorum Ecclesie pro pauperibus alendis fieri non debet pro quacumque necessitate, sed pro extrema, vel saltem valde gravi.
 - 25 Alienatio bonorum Ecclesie faciendā etiam est pro extrema necessitate, vel valde gravi illorum pauperum, qui culpabiles sunt in eorum paupertate.
 - 26 Culpa antecedens non impedit obligationem charitatis, quæ est de subveniendō proximo in extrema, vel etiam valde gravi necessitate.
- 27 Limita nisi contrarium exigit iustitia, ut scilicet delicta non maneant impunita, & satisfacta Reipublica læsa, & scandalizata.
- 28 Necessitas Reipublice læsa, & scandalizata præferri debet necessitati particularis persone iussu condemnata.
- Suppono ad hoc, ut Ecclesie rerum alienatio sit licita, requiri semper causam legitimam ad alienandum, nempe quod sic exigit evidens Ecclesie necessitas, aut utilitas necessaria, ut si Ecclesia grauetur are alieno, & non possit solvere, nisi alienet, autem hoc ius, & autem. Sancimus, Cod. de sacrosanct. Eccles. Vel si reparanda sit Ecclesia, fundus instaurandus, vel domus suffulcienda, quæ aliquin corruerit; quinimò dari potest talis necessitas, ut licita sit alienatio, etiam sine solennitate, & assensu Apostolico, ut infra suo loco dicitur, & docent ex Rebuffo, & aliis Redoanus 9.13. Quaranta verb. Alienatio, num. 42. Mol. disp. 648. Sopranus tract. 44. cap. 5. quest. 11. num. 11. Utilitas, ut si vendatur aliquid, ut melius aliud habeatur, v. g. vendatur ager, ut utilior ematur, aut vendatur calix, ut pretiosior obtineatur, cap. sine exceptione 12. q. 2. Vel si alienetur res inutilis, aut res, in qua plures sumptus infumuntur, quàm sit eius utilitas, ut quia v. g. multum distat, argum. cap. terrulas 12. quest. 2. cit. cap. sine exceptione, Clement. 1. de rebus Eccles. non alien. & l. iubemus, Cod. de sacrosanct. Eccles.
- At si sic non exigit evidens Ecclesie necessitas, aut utilitas, requiritur, quod saltem sic exigit pietas, v. g. necessaria sit Ecclesie rerum alienatio pro fide propaganda, pro redimendis captivis, & sacra. Institut. de rerum divisione, vel pro alendis pauperibus, ne frigore, aut fame pereant, ob quam causam etiam vasa sacra infringere, & pretium erogare (si alia non suppetant) quandoque concessum est, exemplo S. Ambrosij sub tyranno Maximo, quod factum laudavit S. Augustinus apud Possidonium in vita illius, cap. 24. Vide cap. aurum, cap. currum habet Ecclesia, & cap. sanctorum 12. q. 2. ipsumque Ambrosium lib. 2. offic. cap. 28. quia (ut dicitur in l. sancimus, C. de sacrosanct. Eccles.) absurdum non est, animas hominum quibuscumque vasibus vel vestimentis præferri. Vide etiam glossam in Sum. causa 12. q. 2. Abb. in cap. nulli, de rebus Eccles. non alien. Silu. verb. Alienatio, q. 2. Nauar. de alien. rer. comment. n. 3. Azor. 2. p. lib. 9. cap. 1. q. 3. Couar. 2. var. cap. 17. n. 2. Mol. de iust. disp. 468. Lessium de iust. & iur. lib. 2. cap. 24. dub. 11. n. 63. & segg. Layman. lib. 3. tract. 4. cap. 10. n. 4. & segg. Vasquez de redditib. cap. 2. §. 2. dub. 9. Quaranta n. 12. Genuensem cap. 89. Bonacinam punct. 3. num. 1. & Barbosam de potest. Episc. 3. p. alleg. 95. n. 23.
- Aduerte tamen hic, quod ut dicta Ecclesie rerum alienatio sit licita, necesse sit, ut tempore, quo fit, causa aliqua, vna saltem ex dictis existat; siquidem ex illa causa alienatio honestatur, cum quod non existit, non possit honestare, & cum aliquin non diceretur alienatio cum evidenti utilitate fieri, sed potius cum spe utilitatis. Surdus de aliment. tit. 8. privileg. 58. n. 78. Rebuff. in compend. alienat. n. 73. Genuens. in praxi, cap. 89. num. 3. & Barboza alleg. 95. num. 27. Necesse est etiam, quod alienanti constet, causam alienationis verè existere, quia ex dubia causa alienare non debet, cum tunc alienatio non cedat in evidentem utilitatem Ecclesie, cit. cap. sine exceptione 12. quest. 2. & docent Menoch. de arbitrar. lib. 2. cas. 172. Caluacan. 1. part. dec. 45. num. 53. & decis. 46. num. 26. & Bonac. punct. 3. num. 2. constare præterea, saltem secundum probabiliorē sententiam, id ipsi debet per informationem testium, quia alioquin non poterit reddere rationem de sua recta administratione, & Episcopus non præstabit assensum, nisi præmissa prius huiusmodi informatione, & citatis his, quorum interest. Riccius in praxi decis. 94. edit. 1. vnde

- 11 Vnde cum alicui à Papa committitur, ut rebus Ecclesie alienandis (si ei legitime constiterit, alienationem cedere in eundem utilitatem Ecclesie, vel eam necessariam esse pauperibus aliendis, vel captiuis redimendis) assensum præstet, debet de iis informationem sumere, alioquin non dicitur ei legitime constare. Genuensis in praxi, cap. 60. n. 21. Quaranta, & Riccius in loc. supra cit. Pasqualigus tom. 2. decis. 174. & Bonacina de contractu fendi, disp. 3. quæst. 8. punct. 4. num. 5.
- 12 Aduerte secundò, quod si alienatio fiat ob Ecclesie utilitatem, utilitas, ob quam alienatur res Ecclesie, debeat esse, quam maxima haberi potest, ut scilicet detur plus offerenti, quia semper, quoad fieri potest, prospiciendum est Ecclesie, præsertim ab eo, qui operatur ex officio: quamvis si non alienetur cum maxima utilitate, quæ haberi potest, si scilicet non detur plus offerenti, valida sit alienatio, quia adhuc adest causa alienationis, scilicet utilitas, etsi non maxima, quæ haberi potest, & Prælati non prævideat Ecclesie in æquiritis, sed solum in æquirendis, in quibus, ut infra dicitur, præiudicare potest. Sic Quaranta n. 12. & Soprani apud Filiucium tract. 44. cap. 5. §. 4. num. 4.
- 14 Aduerte tertio, quod non omnino improbabiler valida sit etiam alienatio, si eam fecerit Prælati credens, causam esse legitimam, quamvis postea comperiatur non fuisse legitimam. Sic Gloss. in cap. ad nostram, de rebus Ecclesie non alien. Vasquez de re. diu. cap. 2. §. 2. dub. 4. num. 39. & alij apud Couar. 2. var. c. 17. num. 20. apud Molinam disp. 468. num. 14. & apud Riccium loco supra cit. decis. 15. Et ratio esse potest, quia Ecclesia non præsumitur velle alienationem inuolidam esse ob causam non legitimam, si legitima putabatur bona fide: quamvis detur Ecclesie, etiam in istorum sententia, in tali casu beneficium restitutionis in integrum. Sed de hac re vide infra dub. 20. ubi contrarium multò probabilius esse ostendam: illud tamen interim admitto, quod in dubio, an alienatio facta sit ex legitima causa, & in euidentem utilitatem Ecclesie, præsumendum sit in partem affirmatiuam, præsertim si commissarius, seu deputatus consensum præstitit: quia in dubio standum est pro valore actus, & quia in dubio nemo præsumitur malus, & non præsumitur delictum, nisi demonstretur: quapropter in tali casu Ecclesie incumbit onus probandi contrarium, si velit ut beneficio restitutionis in integrum. Mascardus de probat. concl. 488. & 1112. Redoanus quæst. 79. Soprani cap. 5. quæst. 9. Menochius lib. 2. præsumpt. 75. num. 15. & determinauit Rota Romana 1. part. divers. decis. 716. Vide etiam Layman lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 4.
- 20 Aduerte quartò, quod cum alienatio fit pro soluendis debitis Ecclesie, cogatur venditor probare pretium versum esse in talem effectum, cap. 2. §. hoc ius porrectum, 10. quæst. 2. & tradunt Baldus, Innocent. Imola, & alij, quos citat, & sequitur Couar. lib. 2. var. cap. 17. n. 3. Quamvis ab hoc onere probationis eximatur emptor, si præmisso tractatu, aliisque solennitatibus à iure requisitis, pretium soluerit, & rem Ecclesie receperit; quia tunc pro ipso præsumitur in Ecclesia utilitatem pretium versum esse. Sic Couar. loc. supra cit.
- 22 Aduerte quinto, quod si satisfactioni debitorum Ecclesie, vel necessitati pauperum, aut redemptioni Captiuorum, &c. prouideri possit redditibus beneficij (tametsi hi in sustentationem ministrorum sint applicati) cesset tunc causa necessaria, vel utilis alienandi res Ecclesie; quia superest tunc alia via minus damno Ecclesie prouidendi dictis necessitatibus.
- 23 Neque obstat, quod fructus beneficij in sustentationem ministrorum applicati sint; quia applicati sunt

ad talem effectum sub onere, ut dicti ministri (si sine suo magno incommodo possunt) Ecclesie, pauperibus, alijs que grauer oppressis de dictis fructibus prouidere teneantur. Sic sapius definiuit Rota Romana, & tradunt Genuensis cap. 79. n. 4. Tabiena verb. Alienatio, n. 4. Riccius eodem verb. §. causa, n. 3. & decis. 103. & Bonac. n. 5.

Aduerte sexto, quod ut dicta alienatio rerum Ecclesie licita sit, non sufficiat qualibet pauperum, aliorumve oppressorum necessitas, sed requiratur eorum necessitas extrema, vel saltem valde grauis, præsertim si ex dicta rerum Ecclesie alienatione diminutio cultus diuini facienda sequatur. Sic Couar. cap. 16. num. 8. & Mol. disp. 468. quod tamen arbitrio Prælati relinquitur.

Aduerte septimo, non obstat, quod tales culpa propria, v. g. ludis, conuiujs, vel luxurijs, &c. in dictam necessitatem deuenierint; quia si reuera eorum necessitas hic, & nunc sit extrema, vel valde grauis, ut scilicet nuditatem, famem, carcerem, vel carceris periculum patiantur, tenetur adhuc hic, & nunc Ecclesia illis alienatione suorum bonorum prouidere; quia culpa antecedens non impedit obligationem charitatis, quæ est de subueniendo proximo in extrema, vel etiam in valde graui necessitate; præsertim si præsumi potest, illius culpa tales penitusse. Sic Couar. loc. supra cit. Mol. disp. 468. conclus. 2. & Vasquez cap. 2. §. 2. dub. 10. num. 37. & seq. Et fauet textus in cap. pasce, 88. dist.

Excipe nisi contrarium exigat iustitia, ut scilicet delicta non maneant impunita, & satisfiat Reipublicæ læsæ, & scandalizata; yti contingit, si quis ob delicta sua damnatus sit ad carcerem perpetuum, trimes, vel etiam ad mortem subeundam, quia tunc iis Ecclesia non solum non tenetur alienatione suorum bonorum prouidere, sed etiam non potest; quia necessitas Reipublicæ læsæ, & scandalizata præferri debet necessitati particularis personæ iuste condemnatæ. Sic Couar. Molina, & Vasquez in loc. supra cit. Redoanus quæst. 11. & seq. & Bonacina punct. 3. n. 1.

Suppositum secundum.

S U M M A R I U M.

- 1 Rerum Ecclesie alienatio, ut licita sit, præter legitimam causam ad illas alienandas, requiruntur alie iuris solennitates, sed non pro alienatione rerum mobilium, quæ seruando seruari non possunt.
- 2 Rerum Ecclesie administrator potest mobilia, quæ seruando seruari non possunt, sine solennitatibus iuris alienare, si sic Ecclesia, vel pijs operibus expendere iudicauerit.
- 3 Item dic de rebus immobilibus, si sint modica quantitatibus, hoc est infra 23. aureorum valorem.
- 4 Rei non utilis, vel modica alienatio pro nihilo reputatur.
- 5 Episcopus sine consensu Capituli potest alienare res modicas, vel parum utiles Ecclesie, licet de non alienandis rebus Ecclesia iuramentum præstiterit.
- 6 Iuramentum Prælati de non alienandis bonis Ecclesie non extenditur ad casus iure non prohibitos, sed permittos.
- 7 Pro alienatione rerum immobilium, & mobilium præstatorum statuuntur à iure quadam particulares conditiones.

Suppono secundò, ad hoc, ut dicta rerum Ecclesie alienatio sit licita, præter legitimam causam ad illas alienandum, requiri alias iuris solennitates, non pro alienatione rerum mobilium, quæ seruando seruari